



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

xv. An priuetur incendiarius?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 2 In iure nullibi cautum reperitur, hominem ex sola par-
ricidij qualitate priuari immunitate.
- 3 Occidens patrem infidiosè, & incautè non priua-
tur immunitate, secus est si inter patrem, & filium
nulla præcesserit inimicitia.

Respondetur negatiuè, ob easdem rationes *suprà*
dictas, quamvis contrarium minus rectè sen-
tiant Cutell. *de immunit. Eccles. lib. 1. q. 34. num. 9.* Pari-
sius *lib. 1. conf. 96.* & alij, quorum sententia secundum
aliquos non procedit in quouis parricidio, sed tan-
tum in parricidio infidioso, & incauto: alioquin si
simul pater, & filius degladiarentur, & vnus alterum
2 in rixa occideret, immunitate priuaretur, quod non
est dicendum (inquiunt ipsi) cum ex sola parricidij
qualitate hominem immunitate priuari, in iure cau-
tum nullibi reperiatur: ita inter alios Barbof. *de iure*
Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 95. sed etiam minus rectè, quia
si secundum ipsum sola qualitate parricidij reus im-
munitate non priuatur, neque immunitate priuabitur,
si occideret patrem infidiosè, & incautè, cum (vt
suprà dicebatur) homicidium infidiosum, & incau-
tum non priuet reum immunitate. Secus, si inter pa-
trem, & filium nulla præcessisset inimicitia, quia tunc
homicidium, vt potè proditorium, absque dubio im-
munitate priuaret.

SECTIO XV.

An immunitate priuetur incendiarius?

SUMMARIUM.

- 1 Incendiarius non priuatur immunitate, cum non exci-
piatur in iuribus recensitis.
- 2 Incendiarius æquiparatur agrorum depopulatori, sed
vt diximus non valet argumentum à paritate ra-
tionis.
- 3 Principibus datur facultas puniendi expressè incen-
diarium, consulis Prælati Ecclesiasticis, in quan-
tum incendiarius confugit ad Ecclesiam, non ad
ipsum extrahendum ab illa, sed vt Principes pru-
denter procedant in assignanda pœna incendiario.
- 4 Constitutio Gregoriana derogat iuri communi, & om-
nia reducit ad vnicam formam, & sic non obstat
aliquid in contrarium.
- 5 Violans Ecclesiam eius fores frangendo, vel combu-
rendo, gaudet immunitate.
- 6 Violans tamen Ecclesiam Regularem eius, vel Mo-
nasterij fores frangendo, vel comburendo, vel in eas
quocumque alio modo violentiam exercendo, præter
sacrilegium, & pœnas communes, pœnas quasdam
alias incurrit ex priuilegijs Religionum, et si non
priuationem immunitatis.
- 7 Qui violat Ecclesiam eius fores frangendo, vel com-
burendo, peccat non solum in Ecclesia, sed etiam
contra Ecclesiam, at non valet argumentum à maio-
ritate rationis, vt *suprà* dictum est.
- 8 Neque valet argumentum ab incendiario segetum ad
incendiarium forum Ecclesie.
- 9 Qui simpliciter violat Ecclesiam, est indignus vt ab
illa defendatur, & sic eius immunitate gaudet, si
attendatur eius delictum, secus si attendatur Ec-
clesie pietas.
- 10 Persona loquens cum fert legem, in generali ser-
mone censetur excepta, si aliunde contrarium clarè
non constet.

Respondetur negatiuè, ob easdem rationes dictas,
quod scilicet neque in *cap. inter alia*, vel aliis iu-

ribus, neque in Constitutione Gregorij XIV. excipia-
tur, & consequenter comprehendatur sub regula ge-
nerali immunitatis: atque ita docet præter alios Fa-
rinac. in *append. de immunit. cap. 1. n. 105.* Diana *part. 1.*
tract. 1. resol. 21. & *part. 6. tract. 1. resol. 16.* & Bonacina
tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 6. quamvis oppositum sen-
tiant Faber in *l. 1. C. de his, qui ad Eccles. confugiunt.* Pe-
regrin. *de immunit. cap. 1. n. 6.* Guazzinus *tom. 1. defens. 1.*
cap. 38. n. 44. Mar. Ital. *lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 56. & 57.* Sar-
pus *de iure asylorem, cap. 5. fol. 50.* Villadieg. in *Polit. c. 3.*
num. 213. & Bobadilla in *Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14.*
num. 49.

Obiicies, incendiarius æquiparatur agrorum depo-
pulatori, *c. pessimum, 23. q. 8.* ergo.

Respondetur, solutio patet ex dictis; quin retor-
quetur argumentum, quia cum incendiarij crimen
non sit idem crimen, ac crimen agrorum depopulato-
ris, exceptio vnus non est exceptio alterius, sed potius
firmat regulam in non exceptis.

Instabis, incendiarius expressè priuatur immunita-
te, *cir. cap. pessimum*: ergo. Antecedens patet, quia da-
tur ibi facultas Principibus eum puniendi consulis
Prælati Ecclesiasticis: quod consilium requiritur, in
quantum incendiarius confugit ad Ecclesiam, aliàs
enim non requireretur tale consilium, & tamen hoc
non obstante conceditur illis facultas eum puniendi,
consulis Prælati Ecclesiasticis: ergo, &c.

Respondetur, nego antecedens: & ad probationem
respondeo, quod consilium Prælatorum Ecclesiasti-
corum requiratur in dicto casu, non quia incendiarius
confugit ad Ecclesiam, sed vt Principes prudenter
procedant in assignanda pœna incendiario, cum se-
cundum ius antiquum variæ in illum pœnæ sint con-
stitutæ, vt notat Gloss. ibi.

Adde, quod Constitutio Gregorij XIV. derogat
iuri communi, & omnia reducit ad vnicam formam
cum particulis taxatiuis, & clausulis prohibentibus:
& sic non obstat hodie talis textus, etiamsi esset in
contrarium.

Hinc sequitur, quod neque immunitate priuetur,
qui violat Ecclesiam, eius fores frangendo, vel com-
burendo, sicuti contra Cutellium *de immunit. Eccles.*
lib. 1. q. 21. & alios rectè docent in terminis Diana
resol. 16. Nouarius in *summa Bullarum, tit. de immunit.*
num. 9. & ex aduersariis peregrinus *loc. supra cit. n. 15.*
quia cum ex dictis *dub. 19.* solum immunitate priue-
tur, qui violat Ecclesiam per homicidium, vel muti-
lationem, consequens est, quod qui alio modo il-
lam violat, immunitate non priuetur, sed gaudeat, vt
patet ex dictis ibi. Vide etiam, quæ dicebantur
dub. 16. & 17.

Cæterum, si Ministri curiæ secularis fores Eccle-
siarum, vel Monasteriorum Regularem infringant, aut
in eas violentiam exercent, præter sacrilegium, &
pœnas communes, pœnas quasdam alias incurrit ex
Religionum priuilegijs, quæ referunt Cassarubius in
compend. priuileg. Mendicant. verb. Ecclesia fratrum, n. 3.
Rodrig. *tom. 2. qq. regul. v. q. 50. art. 2.* & Lezana *verb. Im-*
munitas Ecclesie, n. 20.

Obiicies secundò, ex Cutellio *loc. supra cit.* Qui vio-
lat Ecclesiam, eius fores frangendo, vel comburendo,
peccat non solum in Ecclesia, sed etiam in Ecclesiam:
ergo immunitate non gaudet.

Respondetur, concedo antecedens: at nego conse-
quentiam, quia in materia hac immunitatis non valet
argumentum à paritate, neque à maioriore rationis,
vt patet ex dictis *suprà cit. dub. 19. & dub. 24.*

Instabis ex eodem Cutellio: agrorum depopula-
tor, qui incendit segetes, immunitate non gaudet:
ergo multò minus, qui incendit fores Ecclesie.

Respondetur similiter vt *suprà*: concedo antee-
dens, at nego consequentiam, ob rationem dictam.
Accedit,

Cap. XVI. Dub. XXIV. Sect. XVI. & XVII. 83

Accedit, quod ut agrorum depopulator, qui incendit segetes, immunitate non gaudeat, requiritur, quod id pluries, non autem semel, vel bis fecerit, sicuti dicebam *dub. 13.*

9 Reinstabis ex eodem Cutellio: Qui simpliciter violat Ecclesiam, est indignus, ut ab illa defendatur, & sic eius immunitate gaudeat, *c. ad Episcopos, 17. q. 4.* ibi: *Ad Episcopos cum eos direxisset inquisitionem, & eos, qui Ecclesias violasse perhiberentur, accessu eorum indicarent esse indignos. Et in cap. frater 10. dist. causa 17. q. 4.* ibi: *Nullus enim inter limina tanta venerationi deputata utrumque sibi licere existimet pro sua voluntatis arbitrio, ut & humanitatem sibi vendicet, & furorem: & in c. omnes, cit. 17. q. 4. ibi: A limitibus eiusdem matris anathematizamus Apostolica auctoritate, pellimus, damnamus, atque sacrilegos indicamus: ergo, &c.*

Respondetur: Distinguo antecedens, est indignus, si attendatur eius delictum, concedo: est indignus, si attendatur matris Ecclesiae pietas, quae ex hoc magis elucet, & propter quam corripit ius commune: nego. Quod inde magis patet, quia alioquin nullus delinquens gauderet immunitate Ecclesiae, quia omnis delinquens, utpote delinquens, indignus est, qui defendatur ab Ecclesia.

Urgebis ex eodem Cutellio: Persona loquentis, cum fert legem, in generali sermone censetur excepta, quod non ferat illam in proprium praedictum: Doctores communiter, quos citat Barbosa *axiom. 206. n. 2.* ergo, &c.

10 Respondetur: Distinguo etiam antecedens, si aliunde contrarium clare non constet, concedo: si constet, sicuti contingit in casu nostro, nego. Quod inde confirmatur, quia alioqui quomodocumque quis delinqueret in Ecclesia, immunitate non gauderet Ecclesia.

Respondetur secundò, quod licet id vergat in casu nostro in proprium praedictum materialiter, seu quoad materiale Ecclesiae, non tamen vergit in proprium praedictum formaliter, seu quoad immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiae.

SECTIO XVI.

An immunitate priuetur apostata à Religione?

SUMMARY.

1 Apostata à Religione ob rationes supradictas non excluditur ab immunitate Ecclesiae, in opinione tamen illorum Doctorum asserentium, quod Clerici, & Regulares delinquentes gaudeant Ecclesia immunitate.

Respondetur etiam negatiue ob easdem rationes iam dictas: quod tamen dico in opinione eorum Doctorum, qui docent, quod Clerici, & Regulares delinquentes immunitate Ecclesiarum gaudeant, cum ego tamen opinionem oppositam putem probabiliorē, de qua vide *dub. 10. sect. 15.*

SECTIO XVII.

An immunitate priuetur exul, vel capitaliter bannitus?

SUMMARY.

1 Exul, vel bannitus, dummodo eius delictum non sit de exceptis, non priuatur immunitate.

2 Bannitus non potest extrahi ex alieno territorio, & sic neque ex Ecclesia, cum ea sit de territorio Episcopi.

3 Bannitus, vel exul, si sit in Ecclesia sua patria, non dicitur exilium fregisse.

4 Ius generaliter loquens generaliter est intelligendum.

5 Vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, praesertim si distinctio sit in praedictum Ecclesiae.

6 Reus, qui ducitur ad supplicium mortis, si se eximat a manibus suorum, gaudet Ecclesia immunitate.

7 Bannitus, & exul mortuus, non potest sepeliri, ex doctrina Bartoli in Ecclesiis locorum, de quibus arceatur.

8 Non valet argumentum à priuatione sepultura ad priuationem immunitatis.

9 Excommunicatus non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen gaudet immunitate.

10 Infidelis non potest sepeliri in Ecclesia, & tamen ex multis satis probabili opinione, gaudet etiam immunitate.

11 Opinio Bartoli de sepultura banniti, & exulis non est tuta.

12 Bannitus, vel exul, hoc ipso, quod transgrediatur fines veritos confregendo ad Ecclesiam, committit crimen lese Maestatis, sed non in personam Principis.

13 Bannitus, vel exul cum confidenter audeat permanere in loco sacro, delinquit in Ecclesia, non tamen occidendo, vel mutilando, & ideo gaudet immunitate.

14 Littera concessa particularibus locis contra immunitatem, non sunt generaliter ad omnia loca extendenda.

15 Bannitus si vi statuti possit impunè occidi, non solus non debet extrahi ab Ecclesia, sed nec in illa occidi.

16 Occidens bannitum ex permissione statuti, si occidat in Ecclesia, licet non possit puniri ut homicida, punitur tamen ut Ecclesiastica immunitatis violator.

17 Occidens tali casu in Ecclesia contrahit excommunicationem constitutionis Gregoriana latam contra extrahentes ab Ecclesia.

Respondetur, quod immunitate neque priuetur exul, vel capitaliter bannitus (dummodo delictum, pro quo est exul, vel bannitus, non sit de exceptis) ob easdem rationes supradictas.

Et confirmatur, quia bannitus non potest extrahi ex alieno territorio (ut inter alios notauit Azevedus *lib. 1. cap. 3. num. 7.*) ergo neque ex Ecclesia, cum Ecclesia sit de territorio Episcopi (quapropter si bannitus, vel exul fuerit in Ecclesia suae patriae, non dicitur exilium fregisse, quae de re Diana *part. 4. tract. 1. resol. 91.*) Atque ita contra Sarpum *de iure asylosum, cap. 5. fol. 53.* & quosdam alios docent Sanchez *in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 24.* Barbosa *de iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 130.* Peregrin. *in tract. de immunit. cap. 5. num. 11.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 31.* Clarus *in pract. §. fin. q. 38. num. 21.* Farinacius *q. 28. num. 47.* Castrus Palauus *tom. 2. tract. 11. diff. unic. punct. 7. num. 9.* Baiardus *ad Iulium Clarum q. 30. num. 28.* Guazzinus *tom. 1. de sens. 1. c. 38. n. 55.* Bonac. *tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 5. num. 15.* Ludouicus Correa *in relect. de immunit. part. 3. num. 40.* Lezana *verb. Immunitas, num. 16.* Cochier. *de iuris dict. p. 4. q. 65. n. 2.* & Marius Anton. *Maceratensis var. resol. lib. 3. resol. 15. n. 9.* Vide etiam quae dicebantur supra cit. *dub. 1. sect. 5. & seqq.*

Obiicies, Ecclesia non defendit, quos Iudicum sententia